

N<sup>o</sup> 26

S.P.

Quod quidem in votis unice mihi semper fuit, Vir clarissime, ut observan-  
tiam erga te meam probare aliquando tibi possem, id vel tum non licuisse  
mihi, cum occasio commodissima se offerret, veementer profecto dolui. Vix  
elapsus eras nobis, cum eodem die affinem ecce tuum prater expectationem  
mihi oblatum. Jam in seram vesperam proventus erat dies: adeo quidem ut  
et pater meus et amita, quae res familiae nostrae potissimum curat, iam  
concessissent cubitum. Quare dum metuo, ne pro merito suo ea modo a  
me posset excipi affinis tuus, eum imprudenter dimisi. Eo tamen animo,  
ut, quod tum a me peccatum erat, die postero diluerem. nam et ille se rever-  
surum pollicebatur. nunquam alioquin dimissurus fuisset. Sed enim toto  
postero die a me expectatus non comparuit. Quod permolestum mihi fuit  
vel ipsius nomine; ostendissem enim quaedam quae visui non iniucunda ipsi  
fuissent. Interim haec literae, quas hic vides, ad ades nostras curatae sunt.  
Deus optimus maximus eventum itineris tui sospitet ac secundet. Vale,  
Vir clarissime, et plurimum a patre meo salve. Apud affinem tuum ut  
me excuses, obnixè rogo. Lugduni Batavor. A<sup>o</sup> C<sup>o</sup> 1707. XLII. XXVI. Junij.

Sibi ad omnia paratissimus  
Nicolaus Heinsius.



Faint, illegible handwriting on aged paper, possibly a letter or document. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side. The paper is yellowed and shows signs of wear, including a small hole near the top left corner and a tear on the right edge.